



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi**

**Johannes <Climacus>**

**Coloniae, 1583**

**VD16 J 520**

Vita Abbatis Gregorij Anachoretæ, & Thallelæi eius discipuli. Capvt XCI.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

Anchoreta seculari sepulchrum senis sui, & dixit ei: Fode hic. Cùm autem effodisset sepulchrum, Anchoreta stetit ad orationem. Finita verò oratione, osculatus est secularem dicens: Ora pro me, frater. Descendensque collocavit semetipsum supra senem suum, & continuò reddidit spiritum. Secularis autem rursus aperto sepulchro, Deo gratias egit. Cùm autem descendisset de monte, quantum iactus est lapidis, ait intra semetipsum. Verè debui accipere benedictionem sanctorum. Reversusque illorum sepulchrum inuenire non potuit.

*Vita Abbatis Gregorij Anachoreta, & Thallelæi eius discipuli.*

## CAPVT XCI.

**D**icebant quidam ex patribus de Abbate Gregorio Anachoreta, quòd triginta quinque annos egisset nudus deserta circumiens.

**D**icebant item de illo, quòd cùm esset in montibus monasterij Abbatis Theodosij in Scopulo, habebat discipulum, quo defuncto, cùm non haberet senex instrumenta, vt humum foderet, & sepeliret corpus fratris, descendit de monte prope mare, inuenitque applicantem nauem. Orauit autem nauclerum, & nautas, vt ascenderent secum in montem, & sepelirent fratrem. Illi autem prompto animo obedierunt seni, sumentesque instrumenta necessaria, ascenderunt cum eo, & fodientes humauerunt corpus fratris. Vnus autem ex nautis, nomine Thallelæus compunctus in virtute senis, orabat eum, vt cum illo moreretur. Senex autem dixit ei: Non potes ferre penitentiae laborem. Ait ille: Ita sanè tolerare possum.

Bb s

possum.

possum. Mansitque cum sene anno vno, nimum  
in sacra exercitatione laborans. Post peractū au-  
tem annum prostravit se frater Thallelaus seni  
dicens: Ora pro me, pater. Nam per orationes tu-  
as Deus abstulit à me laborem; neque enim iam  
fatigor, neque me aëris inclementia affligit; non  
æstu vror, non hyeme rigesco, sed in multa requie  
sum. Senex verò benedixit eum, peractisque cum  
sene duobus alijs annis cum dimidio frater Thal-  
lelaus præsciuit obitum suum, oravitque senem  
dicens: Duc me, quæso, <sup>1</sup> Hierosolymam, vt ado-  
rem sanctam Crucem, & sanctam Christi Domi-  
ni, & Dei mei resurrectionē. His enī diebus Domi-  
nus assumet me. Senex autem, eo sumpto, profe-  
ctus est in sanctā ciuitatem Itaq; cū adorassent  
sacra, & venerabilia loca, descendissentque in san-  
ctum Iordanē & ibi lauissent, post dies tres obdor-  
miuit in Domino frater Thallelaus, sepeliuit illū  
senex in monasterio Copratha. Post aliquantu-  
lum verò temporis requieuit & Abbas Gregorius  
Anachoreta, sepelieruntque illum eiusdem mo-  
nasterij patres in Ecclesia:

<sup>1</sup> *Ecce peregrinationem ad loca sancta, adorationis gra-  
tia, ecce Crucem Domini adorari solitam.*

*Vita Fratris Gregorij Cappadocis, & inuentio-  
nis Petri Solitarij sancti Iordanis.*

C A P V T X C I I.

**N** Arrauit nobis venerabilis pater noster Ab-  
bas Gregorius Archimandrita monasterij  
sancti patris nostri Theodosij, quod postū  
est in eremo sanctæ Christi Domini nostri ciuita-  
tis, mihi .sc. & fratri Sophronio Sophistæ dicens:  
Habui hic fratrem nomine Gregoriū Cappadocem,  
habebat